Jahresbericht

über das

Archigymnasium zu Soest

am Schlusse des Schuljahrs

von Ostern 1867 bis dahin 1868.

Von

dem Director des Gymnasiums
Professor Dr. Jordan.

Voran geht:

Annotationes criticae in orationem Ciceronis pro Flacco.

Scr. Dr. C. A. Jordan.

Soest.
Nasse'sche Buchdruckerei.

Codices noti, quibus oratio Ciceronis pro Flacco habita continetur, admodum recentes sunt, saeculi fere XIV. s. XV.; duo tantum eius fragmenta in codice Vaticano Philippicarum vetustissimo et in Ambrosiano quodam servata sunt. Illi autem codices ita sunt inter se similes, ut Baiterus in editione Orelliana altera satis habuerit duorum varias scripturas, Salisburgensis (S.) et Bernensis (F.), accurate enotare; ex quindecim Lagomarsinianis et sex Oxoniensibus paucas quasdam varietates exscripsit. Et iure quidem; nam nihil fere bonae frugis inde repeti potest, quod non in duobus illis iam inveniatur. Codices vero S. et T. si cum fragmento Vaticano paullo longiore (§ 39—54) comparantur, quanquam deteriores esse apparet ac negligentius scriptos, tamen ita boni sunt, ut ex iis satis emendate oratio Flacciana possit restitui. Codicem autem Bernensem ex Salisburgensi non esse transscriptum inde intelligitur, quod non raro verba in illo omissa sunt, quae in hoc leguntur. Cf. p. 827, 17. 828, 38. 805, 2. ed Orell. alibi.

At ne Bernensis quidem ex Salisburgensi manavit; nam nimium quantum aliquot locis inter se differunt cf. p. 817, 30: illam gentem S. illam generaret T. 826, 40. periculo S. indicio T. 804, 3. zonarii S. coriarii T. alibi. Illud tamen mirum videri debet, quod Baiterus ad p. 812, 24 in codice T. verba § 47. „pecuniam Fufiis persolvisse — § 53. quid in re sit“ omissa esse narrat, idem ex hac ipsa lacuna varias scripturas eiusdem codicis: Heraclide pro Heraclida, vexavit pro vexat affert.

In omnes autem hos codices satis recentes a librariis, ut fieri assolet, alienas verborum interpretationes esse illatas non est quod miremur, quarum non paucae a viris doctis iam sunt repertae et ab editoribus expulsae; restant tamen, ut arbitramur, nonnullae, quas indagare et convincere operae pretium visum est.

C. III § 6. At a testibus laeditur. Antequam dico, a quibus, qua spe, qua re concitatis, — dicam de genere universo et de conditione omnium nostrum. Baiterus verba qua vi, cum in aliquot codicibus abiissent in quam, exinde a multis librariis omissa esse arbitratur. De suis codicibus S. et T. tacet. Vellem ascripsisset, quid in iis legeretur; nam cum in codicibus Faërni, plerisque Palatinis, omnibus Oxoniensibus, Francianis, Barberino, Guelferbytano aliis haec verba non extent, in Salisburgensi et Bernensi ea inesse, nisi certo testimonio confirmatur, vix adducor ut credam; omissa autem cur sint a librariis in paucis codicibus, apertum est. Plurimorum igitur codicum auctoritate freti cum editores a Graevio usque ad Schuetzium haec verba damnassent, primus eorum patrocinium suscepit Orellius in editione I. „Eadem est, inquit, abundantia, quam paullo ante admirati sumus in fragmento Ambrosiano, in quo plures si id codices exhiberent, probabiliter unum alterumve membrum esset omissum.“ Verba haec sunt, non argumenta; quid enim tandem auctoritatis in

fragmento illo Ambrosiano inest ad ea de quibus h. l. agitur verba tuenda! Garatonius voculas illas fortasse posse defendi suspicatur iis, quae leguntur VI, 13. de vi, de manu, de armis, de copiis Laelii." At inde multo rectius colligi posse existimamus qua vi a librario ad verba qua re explicanda esse additum. Nam id quidem iam bene perspexit Beckius, verbis qua re illarum rerum, quae § 13. commemorantur, significationem contineri, sed in eo mire fallitur, quod haec ipsa verba spuria esse suspicatur; nam sic et manca esset oratio, nec unde verba illa orta essent exputandum. Egregie autem sibi respondent qua spe et qua re non solum propter notionum quae iis continentur, sed etiam propter soni aequabilem rationem. Quae autem fuerit spes, quae res illa, qua Laelius concitaverit testes Asiaticos, ex iis quae § 17.—18. leguntur, facile intelligitur; epulas enim et largitionem Pergamenorum ac testimonii denunciationem ibi commemorat. „Egentes, inquit, et leves spe largitionis et viatico publico, privata etiam benignitate prolectat." Largitionis h. l. ex cod. T. scribendum duxit Baiterus (p. 1450), quam scripturam iam Lambinus ex cod. Memmiano recipiendam putarat, Cobetus comprobarat; idem legitur in codd. Urs. Steph. Grut. Largitionis autem mentionem supra fecerat § 17. „omni largitione saturati" coll. § 3. „Non estis de Lydorum aut Mysorum aut Phrygum, qui huc corrupti concitatique venerunt, sed de vestra republica iudicaturi." „Corrupti, inquit scholiasta Bob., quia redempti sunt ad obsequium mentiendi;" corrupti igitur largitione, i. e. re, concitati autem spe. Adde § 13. „Quae iactura, qui sumptus, quae largitio!" § 15. „Tenues praemio commovit." Ceterorum tamen codicum scripturam legationis habere, quo defendi possit, demonstravit Manutius ad h. l.

C. XIII, 31. „Casus est enim in capiendo, locus, eventus, *occasio*." Miror h. l. vocabulum occasio editoribus suspicionem alienae interpretationis non movisse; nam locus quem tenet in enumeratione rerum certe ineptus est, quoniam occasio sine dubio eventum praecedere debet; itaque a librario ad voc. locus explicandum esse ascriptum arbitror. Sic infra XIV, 32. in provincia a glossatore (sit venia verbo) ad v. civitates additum est, qui non totius Asiae, sed provinciae Asiae civitates omnes intelligendas esse significare volebat. Quod glossema cum e margine in textum esset receptum, sed ita idoneam interpretationem non haberet, ut cum verbo descripsisset posset strui, non minus sane inepte immutatum est in alterum glossema in provincias. Delenda esse haec verba ante Mommsenium Garatonius iam significaverat. — Similiter offendor in iis verbis, quae paullo ante leguntur (§ 31): „Atyanas, pugil Olympionices? hoc est apud Graecos, *quoniam de eorum gravitate dicimus,* prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse." Quid enim sibi volunt h. l. verba illa: quoniam de eorum gravitate dicimus? Nec h. l. nec alibi Cicero in hac oratione de gravitate Graecorum loquitur, sed multis locis eorum levitatem perstringit. cf. § 36. „Das enim mihi, nullam gravitatem, nullam constantiam, nullum firmum consilium esse in Graecis hominibus." § 57. „Facite, ut recordemini, quae sit levitas Graecorum." § 61. „Liceat mihi de levitate Graecorum queri." alibi. Quocirca illa verba a librario esse ascripta suspicor, quamquam vix reperiri potest, cur id

factum sit. Nisi forte existimabimus librarium, cum de re gloriosa dicatur Graecorum, hoc de ea gravitate, quam ipsi intelligebant et existimari volebant, addendum putasse. Cf. §. 55.

C. XXI, 51. omnes codices habent: „Eum *tu testem* spe recuperandi fundi venire ad testimonium dicendum coegisti." Desunt autem verba tu testem apud scholiastam Bob.; et recte quidem, ut arbitror. Nam vocem testem propter verba sequentia „ad testimonium dicendum" supervacaneam esse apparet, tu autem pronomen h. l. abundare ex praecedentibus intelligitur; nam verba abduxisti, occupasti, dicis, possides hoc pronomine carent.

C. XXIII, 55. „Quae pecunia fuerit apud se Flacci patris nomine, *a civitatibus*, hanc a sese esse ablatam queruntur." Sic in codicibus plurimis legitur; Naugerius primus de suo, ut videtur, adiecit collata, quem secuti sunt editores omnes usque ad Orellium; Baiterus collata omnium codicum auctoritate delevit. Vellem delevisset etiam verba quae desunt in codice T; nam „pecunia fuit apud Trallianos a civitatibus" latine dici nequit in eam sententiam, ut idem sit, quod: „fuit apud Trallianos collata a civitatibus." Recte autem et eleganter componuntur et inter se opponuntur haec orationis membra: „Quae pecunia fuerit apud se patris nomine, hanc a se ablatam esse queruntur." Quod enim fuit apud eos, id ab iis ablatum esse dicitur. Glossema illud a civitatibus collata a librario aliquo Naugerioque ex iis quae proxime sequuntur in textum illatum diuque ab editoribus servatum est. Subicit enim Tullius haec: „Nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suamne dicant, sibi a civitatibus collatam in usum suum," quae continent quasi explicationem superiorum verborum; nam quae fuit apud eos, ab iis quidem ablata est; at eam suam fuisse contendere non poterant, quia non in eorum usum, sed Flacci nomine collata erat a civitatibus, delata tantum ad eos, credita iis L. Flacci nomine ad eius dies festos ludosque celebrandos.

C. XXV, 59. „Si licuit (pecuniam capere), sicuti certe licuit, ad eius honores collatam, ex quibus nihil ipse capiebat, patris pecuniam recte abstulit filius." Agitur h. l. de pecunia ad L. Flacci patris honores ab Asiae civitatibus collata; quam si patri capere licuerit, (sicuti certe licuit) eodem iure a filio posse auferri demonstrat Cicero. Jam vero quaeritur, quo pertineant verba: ex quibus nihil ipse capiebat. Interpretes tacent praeter unum Manutium, qui haec ascripsit: „Ipse Flaccus filius; quem enim illi honores filio fructum ferebant?" At mirifice in eo fallitur, quod voc. ipse ad Flaccum filium referri putat. Patrem intelligi luce clarius est; nam patri honores illi, ad quos civitates Asiae illam pecuniam contulerant, non erant habiti, ludi ac dies festi eius nomine non instituti, nihil omnino eiusmodi factum. cf §. 55. 59. Osiander recte quidem ad patrem Flaccum verba illa refert, sed ad sententiae rationem explicandam falso inserit voc. übrigens: „Das Geld, das zu Ehrenbezeugungen für ihn, die er übrigens nicht empfing, zusammengeschossen war." At ut totum hoc additamentum ad rem supervacaneum est nec ad argumentationis rationem, quam Cicero instituit, quicquam facit, ita in latinitate ipsa offendimus; nam vix latine dici posse arbitramur: „nihil ex honoribus capio" in eam sententiam, ut sit: nulli mihi honores habentur, instituun-

tur." Quamobrem haec verba a librario addita esse suspicamur, qui pecuniam illam in Flacci patris honoribus non esse consumptam, sed a Tralianis in quaestum ac fenerationem translatam significare vellet.

C. XXIX, 70. „Annos iam triginta in foro versaris, sed tamen [in] Pergameno." Non debebat h. l. Baiterus codicis S. auctoritate, cui alibi etiam nimium tribuit, in praepositionem uncis includere; tuentur eam Memm. apud Lamb. Barber. Bern. Oxx. C. T., omittunt Oxx. H. S. χ. De repetitione praepositionis multi multa dixerunt; cf. imprimis Otto Excurs. II. ad Cic. de Fin. p. 402. - 409. Haase ad Reisig. p. 739, nos ad orat. p. Caecina p. 243 sqq. et quos ibi ascripsimus VV. DD. Cuius repetitionis ratio quamquam saepe satis lubrica et incerta est, multumque in ea re ex voluntate et arbitrio scriptoris pendet, illud tamen pro certo affirmari potest, ubi membra orationis magis disiungantur et per se separatim spectentur quam copulentur, si codices addicant, repetendam esse praepositionem. Id vero hoc loco recte fieri non solum particularum sed tamen significatio ipsa docet, verum etiam illud, quod in verbis sed tamen in Pergameno festiva inest et admodum acerba oratoris correctio, quae per se seorsim stare nec praecedenti membro in foro quasi adiungi et arctius apta esse debet. Propter praecedentem autem litteram N oculorum errore a librariis in praepositionem facile omitti potuisse apparet. Vide, quae diximus ad Verrin. II, 3, 7. et IV, 27, 60., qui locus huic est simillimus; nam ibi quoque post coniunctionem adversativam sed omissa est in optimis quibusdam codicibus ad praepositio, quam multi alii recte servarunt. — Totius autem huius loci explicationem unus Garatonius proposuit verissimam, a quo non debebat dissentire Beckius. Nam perstringit Cicero Decianum, quod, cum civis Romanus esset, annos iam triginta in foro versaretur, at non in Romano, quod quidem honestum ac laudabile videri poterat, sed in Pergameno, patriae urbis plane immemor atque oblitus. Cf. Manut. ad h. l.: Sedem autem suam habuisse Decianum Apollonide, non Pergami, et ex XXI, 51. intelligitur: „Abduxisti (Lysaniam) Temno Apollonidem." in qua urbe Decianus habitabat, et ex iis, quae h. l. subiiciuntur. Adde, quod paullo post § 71. legitur: „Verum esto; negotiari libet; cur non Pergami?" quae verba cum ab aliis, qui cur non Pergae? vel: cur Pergami, non Smyrnae? conjicerent, male intellecta essent, Garatonius egregie docuit liberam civitatem, in qua Decianus negotiabatur, esse Apollonidem, cuius otium ab litibus ac turbis remotum delectabat Decianum, qui Graecorum Apollonidensium libertate — erat enim Apollonis libera civitas — mirifice gaudebat. Sed cum Apollonis in conventu Pergameno esset (cf. Plin. N. H. V, § 126.), Decianus, cum forum Pergami a praetore agebatur, negotiorum causa ibi versari solebat. Recte igitur potuit Cicero dicere Decianum et negotiari Apollonide, ubi domicilium habebat, et versari in foro Pergameno, ubi conventus erat civium Romanorum in illo tractu Asiae habitantium. Hinc simul intelligitur, cur Decianus ad Pergamenos detulerit, ut in litteras publicas suas proscriptiones et emptiones reciperent; quas quidem illi repudiarunt. Nihil igitur iam in hoc loco explicando restat difficultatis. Illud unum breviter attingere placet, § 70. et § 79. non Apollonidienses, ut vulgo fit, sed cum Faërno Apollonidenses scribendum esse. Codices noti h. l. exhibent: Apollonienses,

Lambinus ex libris Mss. h. l. sese recepisse Apollonidienses. affirmat, ut est apud Plin. N. H. V. § 126. At codices Plinii in nominibus propriis mirum quantum peccant, ut nihil inde firmamenti ad hanc scripturam h. l. stabiliendam repeti possit. Altera autem illa forma Apollonidensis egregie firmatur codice Mediceo Epp. ad Q. Fr. I, 2, 3. 10. 11. Turbatum est in hoc nomine in codice Mediceo Epp. ad Att. V, 13, 2., ubi Lambinus recte emendavit Apollonidensem, id quod recta linguae ratio postulat; nam similiter dicuntur Chalcidenses a Chalcide al. Eo ducit etiam, quod h. l. et apud Tacit. Ann. II, 47. codices habent, Apollonienses, quam vocem librariorum, quibus Apollonia urbs nota, Apollonis ignota erat, temeritas et ignorantia utroque loco in textum intulit. Utriusque autem urbis incolae ut possent discerni, illi dicti sunt Apollonienses (Cic. Verr. III, 43, 103. Just. IX, 2, 1.) hi Apollonidenses. Similiter Halmius in Pis. XL. 96 ex codice G. edidit Bulienses; codices E. F. M. S. habent Bullienses. Ursinus recte ex libris antiquis scripsit Bullidenses (a Bullide, Illyrici oppido, Philipp. XI, 11, 26. Caes. B. C. III, 40), qui a Caesare (B. C. III, 12.) et a Plinio (N. H. IV, 35) 17, Bullidenses appellantur, a Livio (XLIV. 30) Bullini, a Cicerone (Fam. XIII, 42), Bulliones. Cf. Garat. ad Pison. l. l.

Jam ad alios quosdam locos orationis Flaccianae emendandos rectiusque interpretandos pergamus.

C. IV, 10. „Unde illud est DA MIHI TESTIMONIUM MUTUUM? num Gallorum, num Hispanorum putatur? Totum istud Graecorum est, ut etiam qui Graece nesciunt, hoc quibus verbis a Graecis dici soleat, sciant. *Itaque* videte, quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicant.“ Sic in omnibus codicibus legitur; at sententiarum recta ratio ac continuatio itaque particulam non admittit: confidentia enim illa perversa Graecorum in testimoniis dicendis ex iis quae praecedunt colligi non potest. Nam cum Cicero ceteras quidem artes animique virtutes Graecis concedendas, testimoniorum autem religionem ac fidem abiudicandam esse supra dixisset, id ita esse primum ostendit ex illo Graecorum DA MIHI TESTIMONIUM MUTUUM; tum vero ex vultu etiam et confidentia in testimonio dicendo nulla eos religione dicere intelligi posse subiungit. Hinc Atque pro Itaque scribendum esse efficitur, ut Baiterus etiam § 86. codicum scripturam omnium recte emendavit. Has autem particulas a librariis confundi solere docuerunt Drakenb. ad Liv. V, 21. 17. XI. 12, 2. Ellendt. ad Cic. de orat. II, 23, 94. 28, 122. —

C. X. 23. „Quid tu istum roges, Laeli, qui, priusquam hoc TE ROGO dixeris, plura etiam effundet, quam tu ei domi antea praescripseris.“ Sic typis imprimenda verba curavit Baiterus, ut hoc cum dixeris esse iungendum significaret; at multo rectius pronomen cum verbo ROGO iungitur. Pertinet enim ad illud, quod antea scriptum est: „Quid tu istum roges?“ Ille autem testis, cum unum aliquid ab actore interrogabatur, non hoc unum quod interrogabatur respondebat, sed plura effundebat. Pronomen autem ad v. dixeris adiunctum supervacaneum est, ne dicam ineptum.

C. XV. 34. „Citat praeco voce maxima legatos Acmonenses. Procedit unus Asclepiades. Prodeant. Etiamne praeconem mentiri coëgisti?“ Ita edidit Baiterus; Faërnus cum in uno codice invenisset: Prodeant etiam ceteri, scribendum censuit: Prodeant ceteri, qua in re eum secutus est Lambinus; sed omnes post eum editores hanc scripturam merito repudiarunt. Verum vidit Graevius, qui verba ita esse transponenda statuit: „Citat — Acmonenses. Prodeant. Procedit unus Asclepiades. Etiam sqq.“ Sic bene procedit sententiarum ordo ac series. Unde autem in codicibus illa verborum confusio orta sit, facile intelligitur. Nam cum librarius propter verborum Prodeunt et Procedit primam syllabam a priore ad posterius oculis aberrasset, alterum in margine ita ascripsit, ut postea alieno loco insereretur. Qui error cum semel in codices illatus esset, non mirum est, ut sententiarum ratio recte constaret, ad Prodeant postea ex interpretatione adiectum esse pronomen ceteri. Praeclare hoc quidem perspexit post Graevium Garatonius, sed vulgatae scripturae patrocinium non satis feliciter suscepit. „Mihi, inquit, vulgatus ordo non displicet. Cum enim praeco legatos citasset et unus processerit Asclepiades, Tullius adhuc legatos requirit aitque: Prodeant. Legatus enim prodierat, non legati.“ At illud ipsum, quod unus prodierat Asclepiades, Cicero autem plures requirit legatos Acmonenses, aperte ostendit pluralem hunc numerum certo quodam vocabulo distinctius fuisse significandnm, non sola terminatione verbi finiti. Itaque librarius ille nescio quis, si verba ita, ut extant in codicibus notis, collocarentur, ceteri esse addendum recte vidit. Jam vero ea quae sequuntur verba: Etiamne praeconem mentiri coëgisti? ita tantum recte et ordine subiungi poterant, si in praecedentibus mendacii ratio perspicue erat exposita. Id autem ita demum recte fieri poterat, ut praeco citare legatos Acmonenses fingeretur. Expectat eos Cicero atque ut prodeant postulat. Ecce unus procedit Asclepiades! Sic mentiri quasi coactum esse praeconem a Deciano Cicero iure dicere poterat. —

Similiter turbatum est C. XX, 48: „Hermippum vero ipsum, pudentissimum atque optimum virum, veterem amicum atque hospitem meum, splendidissimum atque ornatissimum civitatis suae, probris omnibus maledictisque vexat.“ Hermippus h. l. primum apellatur pudentissimus atque optimus vir, deinde vetus amicus atque hospes Ciceronis, denique splendidissimus atque ornatissimus civitatis suae. Sed cum superlativi adiectivarum splendidissimum atque ornatissimum substantivorum vice ita fungi non possint, ut genitivus civitatis suae inde aptus sit, ex primo autem membro voc. vir propter interpositum alterum membrum ad tertium mente subintelligi non liceat, nihil restat, nisi ut verba veterem amicum atque hospitem meum tertio loco collocentur. Ita et latinitatis ratio constat, et sententiarum ordo melius procedit nec superlativi a superlativis satis ineleganter separantur. — In iis quae sequuntur verbis interpunctio ita mutanda est, ut repente cum verbo pertimuit iungatur; nam testimonia non repente recitantur, sed testimoniis recitatis repente pertimuit homo audacissimus, obmutuit loquacissimus. Cf. Catil. III, 5, 10. „Recitatis litteris debilitatus, conscientia convictus repente conticuit.“

C. XXX. 74. „Qui concursus ex oppidis finitimis undique! qui dolor *animorum*! quae querela!“ Offendor in genitivo animorum; nam quamquam „animi dolor“ non raro apud Ciceronem legitur, tamen pluralis numerus animorum dolor vix reperiatur. Suspicor amicorum a Cicerone esse scriptum; nam cum Polemocrates de dolo malo et de fraude a Dione in iudicium adductus esset, ex oppidis finitimis, qui iniuriam Amyntae illatam aegre ferebant, concurrebant atque amici eius in iudicio aderant dolorem suum prae se ferentes ac de Polemocratis scelere querentes.

C. XXXV. 87. „Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo *religioni suae*, tamen iratum Flacco esse vidistis.“ Vellem Baiterus h. l. egregiam Bremii coniecturam orationi suae, a Garatonio exemplis confirmatam, in verborum ordinem recepisset aut quid sit h. l. religioni suae moderari docuisset; nam Manutii et Camerarii explicationem ab omni latinitate abhorrere Ernestius et Beckius demonstrarunt vulgatamque scripturam vitiosam esse viderunt.

C. XXXV. 88. „An in vestris vestrorumque causis severitas odio est, eandem laudatis, cum de nobis iudicatis? Sic ex quinque codd. Oxx. et S. scripsit Baiterus; vulgo legitur: „An vobis in vestris causis sqq.“, quod extat etiam in codice T. Et oppositionis ratio pronomen personale ut retineatur videtur postulare: vobis in vestris causis severitas odio est, eandem in nostris laudatis. Addendum enim erat, cui in odio esset serveritas, non omnino eam odio esse in istorum causis. — Quod autem Baiterus paullo ante non discessit a librorum omnium scriptura exercet (exercuit conjecit Naug. Faërn., exercebat Halm.), vehementer comprobamus; est enim sententia generalis ad mores ac voluntatem Flacci pertinens, non tantum ad illud tempus, quo praetor Flaccus erat in Asia.

C. XLI. 104. „Quotus enim quisque est, — qui optimi atque amplissimi cuiusque hominis atque ordinis auctoritatem magni putet, illam viam si sibi *vident* expeditiorem ad honores et ad omnia quae concupiverunt?“ Ita hunc locum emandandum putavit Baiterus, cum antea ex Faërni, ut videtur, coniectura scriptum esset: cum illam viam sibi videant expeditiorem sqq. At vellem coniunctivum videant ex codice T. retinuisset, qui extat etiam in Barber. aliquot Faërni et duobus Oxx. codicibus; Ox. χ habet videret, ceteri codices vident. Est enim veri simillimum coniunctivum, qui omissa si particula nullum explicatum habere videbatur, a librariis mutatum esse in indicativum. Coniunctivus verae ac genuinae scripturae est indicium et multo magis ad sententiarum rationem accommodatus; nam illam improborum hominum viam non poterat Cicero dicere revera expeditiorem ad honores videri, sed id ita esse fingit.



